



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

36. An Vicarius Sede vacante possit visitare Monasteria Monialium
exemptarum, & Sedi Apostolicæ subjectarum? Et explanatur Capitulum
Sede vacante non succedere Episcopo in privilegiis concessis cum ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76359](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76359)

mortuo Episcopo, revocaret omnes licentias & approbationes, non comprehenderentur Religiosi, & si etiam de ipsis fieret specialis mentio, nullius momenti esset talis revocatio; vel vocatio ad novum examen. Quod si dicas cum Philiberto Marchio *cit. p. 15. sui tract. tom. Pofit. c. 16. prædictum privilegium fuisse abrogatum à Tridentino in prædicto c. 15. sess. 23. per clatulam derogatoriam, non obstantibus privilegiis. Etenim in dicto Capitulo nomine Episcopi, cuius approbatio etiam respectu Regularium est necessaria; comprehenditur Capitulum, Sede Vacante, ut & nos probabimus *infra* §. 3. n. 26. Quare sicut Episcopus successor potest revocare approbationem Regulari à suo Antecessore concessam; qua revocata iam amplius non censetur iuxta Concilium approbatus, ita etiam Capitulum, Sede Vacante, poterit, revocare approbationem eidem Regulari ab Episcopo vivente concessam, eaque revocatione facta iuxta Concilium, iam non erit idoneus ad Confessiones secularium audiendas, absque nova approbatione. Respondetur negando assumptum; derogat enim Concilium dumtaxat privilegiis audiendi confessiones secularium absque Episcopi approbatione prævia; non aliis privilegiis Regularium circa confessiones; ut constat ex textu illius Capituli, in quo agitur tantum de necessitate approbationis, ut quis Sacerdos, sive secularis, sive regularis censetur idoneus ad secularium confessiones audiendas: Regulares autem absolute approbati ab Episcopo vivente eo defuncto remanent approbati, ergo non possunt absque nova causa cognita à successore reprobari, ut dictum est; & sic iuxta Concilium sunt idonei ad confessiones audiendas in eodem Episcopatu; neque à Capitulo ratione prædicti privilegij possunt reprobari, vel ad novum examen vocari; esset autem necessaria approbatio facta à Vicario Capituli, si iam non fuissent à vivente Episcopo approbati, & hoc tantum probat discursus Patris Marchini. Possunt etiam Regulares simpliciter approbati ab Episcopo successore in dignitate, & jurisdictione ad novum examen vocari; quia privilegium concessum est solum quoad Capitulum, & non quoad successorem in dignitate, Episcopo autem successori plus quam Capitulo voluerunt Summi Pontifices pro quiete suæ conscientie remanere liberam potestatem subiciendi novo examini Sacerdotes regulares absolute approbatos, quia Capituli jurisdictione, & gubernatio ob Vacationem Sedis regulariter parum durat; & pro parvo illo tempore noluerunt Summi Pontifices, Regulares absolute approbatos exhiberi novo examini; successoris autem Episcopi jurisdictione, & regimine regulariter diu durat, cum non extinguatur nisi cum interitu eiusdem Episcopi, vel amotione ab Episcopatu. Huc usque Bossius; & de hac questione ego alibi.*

RESOL. XXXIV.

An Capitulum, Sede Vacante, possit dare licentiam Novitiis disponendi de eorum bonis temporalibus?

Et an possit munus Syndicandi exercere? Ex p. 8. tr. 4. Ref. 53.

§. 1. **R**espondeo affirmative: Dico igitur posse Capitulum, Sede Vacante, licentiam concedere, ut Novitij intra duos menses ante professionem disponant de bonis temporalibus; iuxta Concilium Tridentinum *sess. 25. de regularibus c. 16.* Patet, quia hoc potest Episcopus iure ordinario, ut constat ex *d. c. 16. at Capitulum succedit in omnem jurisdictionem ordinariam, Episcopo competentem, ut probavi supra, Et hanc opinionem tenent Sanchez, tom. 2. sum. l. 7. c. 5.*

n. 67. Barbosa tom. 3. de potestate Episcop. alleg. 99. n. 4. Barthol. à S. Paulo in thes. relig. l. 4. q. 195. & alii.

2. **N**otandum est etiam hic obiter quod cum Syndicare sit actus jurisdictionis, Paris de Puteo *tr. de Syndic. rubr. de offic. Syndic. §. indices ad Syndic. n. 9.* & in illo procedatur tam ex officio, quam ad instantiam partis, ut per eundem dicta rubr. §. proceditur *autem*, eo ipso quod Capitulum succedit Episcopo in jurisdictionibus, & potest de delictis in genere, & in specie inquirere, ut supra firmatum est; sequitur quod hoc etiam munus Syndicandi possit exercere, ita Rota dicta *de off. 166. n. 3. vbi num. 4. cum sequentibus*, respondet contrariis.

RESOL. XXXV.

An Capitulum Sede Vacante possit dare licentiam Monialibus exeundi à Monasterio ex causa? Ex p. 8. tr. 4. Ref. 39.

§. 1. **A**ffirmative respondet Baunius in *Theolog. moral. tom. 1. tract. 11. quæst. 24. vbi sic ait: frax hoc potest Capitulum, cum Sedes vacat, Monialibus exeundi à claustris domo que ex causa; quia Vicarius Episcopi, eandem cum eo jurisdictionem habet Navarr. lib. 3. consil. secundum primam editionem tit. de statu. Monach. consil. 6. Sanchez lib. 6. summe. cap. 15. n. 30. nisi hic eam restringat: at Episcopo competit jurisdictione delegata in Moniales exemptas, quoad egressum à claustris, secundum Trident. *sess. 25. de Regular. cap. 9. & cap. periculis*, & Capitulum, Sede Vacante, vices agit Episcopi mortui: ergo hæc ab eo, Vacante Sede, facultatem egressiendi domo ex causa impetrare poterunt, cum esse non debeant sine Prelato ad quem confugiant.*

Sed hæc opinio non est admittenda stantibus Declarationibus sacre congregationis, de quibus alibi dicendum erit.

RESOL. XXXVI.

An Vicarius Sede Vacante possit visitare Monasteria Monialium exemptarum, & Sedes Apostolica subiectarum?

Et explanatur Capitulum Sede Vacante non succedere Episcopo in privilegiis concessis, cum sint personalia & odiosa. Ex p. 7. tr. 1. 2. & Misc. 3. Ref. 28. alias 26.

§. 1. **R**espondeo negative cum Steph. Baunio in *Theol. mor. p. 1. tr. 1. 1. q. 24.* Quia, ait ipse, auctoritas, quæ commissa est ac legata cuiquam à Pontifice, hæc ab illo ad alium non dimanat, cum eius solius sit à committente habita ratio præ cæteris, industriaque, qua reliquis præstabat, sed est Episcopus Papæ loco, cuius quoque est ex beneficentia, in Monialium exemptarum cura ac regimine, delegatus superior, rectorque, Trident. *sess. 25. c. 9.* Monasteria sanctimonialium sanctæ fidei Apostolicæ immediate subiecta etiam sub nomine Capitulorum sancti Petri, vel sancti Ioannis, vel alias quomodocumque nuncupentur, ab Episcopis tanquam dictæ sedis delegatis gubernentur, non obstantibus quibuscumque: Ergo Episcopo mortuo Capitulum visitare non poterit, Monasteria exempta Monialium.

2. **S**ecundò, Capitulum non succedit Episcopo in privilegiis eis concessis, cum sint personalia, & odiosa, ac proinde strictè interpretanda, Innoc. in *cap. dilecti, de donat. Flam. de resignat. leg. 7. q. 1. n. 24.* Sed quod Episcopo ius sit dicendæ sententiæ, in sacras Deo

virgines,

virgines, à foro suo exemptas, Papæ beneficium est: ergo ad Canonicos, Capitulumque, Sede Vacante non pertinent.

Et ita fuisse decisum à facta Rota in *Burgeni-jurisdictionis die 1. Junij 1596. coram Orano*, testatur *Barbosa in Consil. Trid. sess. 25. c. 9. n. 1. vbi pro hac sententia citat Abbatem, & Felinuz*

Manet igitur firmatum ex superioribus resol. Capitulum tempore Sedis Vacantis non succedere Episcopo in his quæ illi competant tanquam Apostolicæ Sedis Delegato.

RESOL. XXXVII.

Ab Capitulum Sede Vacante possit visitare Monasteria Monialium exemptarum?

Et an Capitulum Sede Vacante possit concedere licentiam Monialibus immediate subjectis Sedi Apostolicæ egrediendi à Monasterio in casibus permixtis in Bulla Pij V. quæ incipit: Decori, & honestati? Ex p. d. n. 4. Rel. 14.

§. 1. Elebris, & difficilis quæstio; & ad illam affirmative respondet Molina *de iustit. 1. 6. c. 7. disp. 1. num. 8. vbi sic ait, Dubitant Doctores, utrum Capitulum, Sede Vacante, visitare possit ea Monialium Monasteria, quæ cum nulli alteri sint subdita, Sedi Apostolicæ sunt immediatè subiecta, & quorum visitatio Clem. 2. de statu Monach. & apertius in Concil. Trid. sess. 20. c. 9. de regularibus, etiam eorum gubernatio, Episcopis tanquam Sedis Apostolicæ delegatis committitur. Panorm. vbi supra c. 5. controversiam, contrariasque ea de re sententias refert, ipsæque in partem negantem propendet Ductus, quod quæ Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ delegato competunt, non transeunt in Capitulum, Sede Vacante. In eandem sententiam propendet Panvinus *quest. 7. citata*; tamen *quest. 10. in princip. illam limitandam censet. Alij, quos Sylvianus calce num. 3. citatos refert, & in quorum sententiam propendere videtur; affirmanter respondent Ducti satis debili fundamento capitis *quæ. de major. & obed. lib. 6. quod, meo iudicio; nihil ad rem facit. Dicere attendendum esse, num muneris Episcopi aliquid jurisdictioni tanquam Sedi Apostolicæ delegato in perpetuum committatur, ut ex officio Episcopi deinceps competat, atque tunc dicere eam jurisdictionem per episcopalem transire ad Capitulum Sede Vacante, nisi aliquid opponatur, non colligatur, contrariū fuisse intentum Concilij, ac summi Pontificis id statuentis; eū enim perpetuo ad muneri annexat tanquam pars jurisdictionis eius muneris idque non in bonum, & tanquam privilegium Episcopi, sed in bonum eorum, in quos jurisdictione exercetur, aut in bonum aliorum & Ecclesiæ; censendum est eam partem jurisdictionis eam transire, in quem Episcopalis reliqua jurisdictione transit; ac proinde transire in Capitulum, Sede Vacante. Atque in re posita quis dubitet, quomodo Concilium Tridentinum *cap. 9. citato*, sic statuit: Monasteria sanctimonialium, sanctæ Sedis Apostolicæ immediate subiecta etiam sub nomine Capitulum sancti Petri, vel sancti Ioannis, vel alias quomodocumque nuncupentur; ab Episcopis, tanquam Sedis delegatis, gubernentur, non obstantibus quibuscumque. Quis, inquam, dubitet, eam jurisdictionem transire ad Capitulum, Sede Vacante. Neque enim mens Concilij fuit, ut toto tempore Sedis Vacantis, sive per mortem, sive per captivitatem Episcopi, Moniales illæ careant gubernatione, neque id rationi esset consentaneum; vnde***

per episcopalem censendum non est, id Concilium intendisse.

2. Quando verò quo ad aliquam causam, vel quo ad negotium aliquod particulare, Episcopus esset delegatus, etiam sub nomine dignitatis, ita ut delegatio ad successorem in Episcopatu, iuxta ea quæ inferius dicenda sunt, transiret, tunc sanè ea jurisdictione non transiret in Capitulum Sede Vacante: quoniam Capitulum Sede Vacante non est Episcopus eius Diocesis, sed est is, in quem jurisdictione eius Episcopatus transiit. Hucusque Molina, cuius sententiam tenet Moneta *de commut. vltim. volunt. c. 5. n. 423. Rodriguez in qq. regul. tom. 1. q. 6. art. 9. Cnedeo in qq. Can. q. 26. n. 28.*

3. Probatur hæc sententia, quia iurisdictio concessa Episcopo, tanquam sedis Apostolicæ delegato, cum sit perpetuè annexa dignitati Episcopali non est proprie delegata, sed ordinaria. Colligit hoc Moneta *ex cap. ad abolendam, de hæret. §. fin. iuncta Clem. 1. §. 1. & seq. eod. tit. Nam quod in dicto cap. ad abolendam §. vlt. concessum fuerat Episcopo, ut Apostolica auctoritate, contra exemptos, in causis hæreticis procedat in dicta Clem. 1. simpliciter conceditur tam Episcopo quam Capitulo, Sede Vacante, & nulla sit amplius mentio de Apostolica auctoritate, quasi iure ordinario id utrique competat. Idem confirmat ex eo, quod cum à canone ea iurisdictio tribuatur Episcopo, iam de iure communi, non autem speciali ei competit, non obstante quod in ea concessione mentio delegationis fiat, argum. *applicet in corrigendis, de offic. ord.**

4. Sed his non obstantibus negativam sententiam tenet Merolla *tom. 3. disp. 7. cap. 7. dub. 1. n. 50. vbi probat Capitulum, Sede Vacante, non posse visitare Monasteria Monialium exempta, quia hæc visitat Episcopus, non ex potestate ordinaria, sed tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, ut dicitur in Clem. 2. de stat. monach. & clarius in Concil. Trident. sess. 20. cap. 9. de regular. & hanc opinionem tenuit Rota in una *Burgeni-visitacionis coram D. Orano 1. Junij 1588. & in alia Burg. procuracionis coram eodem 10. Martij 1597. vbi fuit resolutum. Capitulum Sede Vacante; posse visitare etiam Monasteria Monialium non exempta, non autem exempta. Panvin. de potest. Capit. Sede Vacante, lib. cii. Garz. tom. 1. de beneficio. part. 5. cap. 7. num. 45. Feder. de Sen. cons. 291. Card. Tusc. tom. 1. lit. C. conel. 56. num. 50. Ricc. tom. 4. prax. resol. 563. Graff. 2. part. decif. lib. 3. cap. 28. num. 18. & seqq. Prosper de August. in addit. Quarani. verb. Capitulum, Azor. tom. 3. cap. 37. q. 15. Barbosa. de potest. Episc. alleg. 73. num. 25. Idem dicendum est de alijs casibus, in quibus in Conc. Trid. datur Episcopo facultas, quod procedat, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatus, in his enim non succedit Capitulum, nisi adderetur à Concilio illa particula *Etiam*; ut diximus supra. Limitant hæc Panvin. *dicta quest. 7. prax. Archiep. Neap. cap. 85. num. 50. & Marc. Anton. Succ. lib. 2. instit. maior. tit. 9. num. 80. nisi esset necessarium id de quo agitur, expediti per Capitulum, nec patiatur dilationem. Cæterum hæc limitatio non est necessaria, ut bene inquit Garz. d. cap. 7. num. 46. nam in casu urgente necessitatis, intrat jurisdictione ordinaria Capituli; vnde procedere tunc potest Capitulum ex potestate ordinaria, sicut etiam ex eadem procedere possit Episcopus, quamvis nullam potestatem delegatam haberet. Ex quo etiam fit, posse Capitulum Sede Vacante concedere licentiam Monialibus immediatè subjectis Sedi Apostolicæ egrediendi à Monasterio in casibus permixtis in Bulla Pij V. quæ incipit, *Decori & honestati*, quamvis id pertineat ad Episcopum tanquam Sedis Apostolicæ Delegatum, ut bene inquit Sanchez***

Sup. hoc supra in R. 14

